


DES ERLEUCHTERS RAYNS WAL





ANNUENTE GRATIA DIVINA.
NOBILIUM QVÆ-
STIONUM PHILOSO-
PHICARUM
DECAS X.

Quam,

In illustri Academiâ Vitebergensi,
P R Æ S I D E

M. HENRICO VELSTENIO
Philosophiæ Moralis Prof. publico
defendam suscipiet

HENRICUS SCHILLINGIUS
è Saxonibus Sëesensis.

Ad diem 24. Septemb. horis locoque consuetis.

Augustinus lib. 4. de Trin. c. 6.

Nemo Christianus contra scripturam, nemo pacificus contra
Ecclesiam, nemo probus contra conscientiam, nemo sobrius
contra rationem aliquid statuit aut defendit.

V U I T T E B E R G Æ

Typis Cratonianis, per Iohan. Gorman.

Anno M. DC. VIII.

V I R I S
PRUDENTISSIMIS, SPECTATIS-
simis omniumq; virtutum Encomio splendidissimis, Dn. Conju-
libus & Senatoribus, Patribus Patriæ Reipubl. Seë-
sana omnibus & singulis.

NEC NON
Reverendis, Clarissimis, Doctissimis,

Dn. M. IOHANNI STRUBIO,
apud Bockenemenses Ecclesiasti & Super-
intend. generali.

Dn. HENRICO DALEMIO, Ecclesiæ
Patriæ Præconi, itidemq; Superintendenti.


Dn. M. CONRADO Winter / Ejusdem
Ecclesiæ Patriæ Diacono.

*Viris vigilantissimis, salubri doctrinâ puroq;
& Sincero Evangelij sermonis pabulo famelicam
turbam pascentibus.*

Domini Patronis, Mecænatibus & favoritibus
suis jugiter amandis, plurimumq; colendis,
hasce quæstiones Philosophicas in

*Studiorum præloq;ior, Grati animi omniq;
& debite observantia universorum offi-*
ciöse offert.

Autor & Respondens.



QVÆSTIO PRIMA.

An Theologia accipiat sua principia ab alijs scientijs?

Aurea sunt & nectarea Verba maiorum gentium Philosophi F. Patricij in libro de spatio Phifico dicentis: Nulla magna nomina exhorreamus. Res ipsas verumq; in rebus, veriç, causas investigemus, veritatem veritatis gratiã indagemus. Illa enim est divinum illud fermentum, quod in animo Philosophi ita turgere debet, ut neq; ab alio capi, neq; seipsum capere possit, quemadmodũ loquitur magister ille veritatis alumnus I. Scaligeri. de plan. p. 106. Hisce ergo fascis nostras submittentibus, in subsequentibus questionibus quid sentiamus, liberè effabimur. Missis autem ineptis & otiosis, quæq; sunt à venditoribus ad utiles questiones, comite DEO, comite MULÀ, accessum parabimus, quarum in vestibulo prima hæc erit: Utrum Theologia accipiat sua principia ab alijs scientijs? De hæc enim, cum inter magni nominis viros partium quedam sit disceptatio, cõs cõlũto videbimus atq; non nostris, sed D. Thomæ verbis respondebimus. Potest, inquit ille, scientia Theologica aliquid accipere à disciplinis Philosophicis, non quòd ex necessitate ijs indigeat, sed ad maiorem manifestationem eorum, quæ in hæc scientia traduntur. Non enim accipit sua principia ab alijs scientijs, sed immediatè à DEO per revelationem. Et ideò non accipit ab alijs scientijs, tanquam à superioribus, sed utitur eis tanquam inferiori-

ferioribus & ancillis : sicut architectonicae utuntur submini-
strantibus ut civilis militari. Et hoc ipsum, quod sic utitur
eis, non est propter defectum vel insufficientiam ejus, sed
propter defectum intellectus nostri : qui ex his quae per na-
turalem rationem (ex qua procedunt aliae scientiae) cogno-
scuntur, facilius manuducitur in ea, quae sunt supra ratio-
nem, quae in hac scientia traduntur. *Atq; haec Thomae
verba Caietanus explicat ita: Accipitur inquit, dupliciter,
à superiori vel ab inferiori: & hoc dupliciter, vel propter
defectum seu insufficientiam accipientis, vel subventionem
defectus alieni. Puta intellectus nostri in proposito. Clarius
haec interpretatur Scaliger Exerc. 6. s. 3. ubi docet artificem ab
artifice quaestiones, enunciata, effata, conclusiones duplici
modo accipere: Unus est, cum inferioris cognitio pendet omni-
nò à principijs superioris, quod fit inscientijs (quas vocant) sub-
alternis. Alius modus est, dum artifex ea, quae ab alio posita
sunt, admittit, quae etiam sine ipso cognosceret, sed non tanquam
suorum principia, neq; perinde ab illo probata, quasi ipse probare
non possit, sed ut examinet ac judicet, sicut Metaphysicus à natu-
rali accipit Deum esse. Posteriori hoc modo scientia Theolo-
gica reliquorum omnium regina & domina à Philosophia quaedam
accipit. Ex quibus hoc elicimus axioma: Ubi è ἑποδιδασκαλία
ex firmissimis divinarum tabb. oraculis confutatae fuerint,
postea succenturiatus rationum Philosophicarum manipu-
lus addi potest. Quo etiam videtur spectare D. Lutherus lib.
de vois Monast. c. 5. quod, inquit, rationi evidenter adver-
satur, certum est, multò magis Deo adversari: quomodo
caelesti veritati non repugnabit, quod terrenae repugnat?*

QVÆSTIO II.

An quicquid est prædicatum prædicati sit etiam
simpliciter prædicatum subjecti?

Aristo-

Aristoteles in lib. *Categoriarum* c. 3. postquam vocabulo-
rum distinctioni quadruplicem rerum distinctionem subje-
cisset, demum & hoc subiunxit axioma: ὅταν ἕτερον καθ' ἕτερον κατη-
γορηται ὡς καθ' ὑποκειμένον ὅσα κατὰ τὸ κατηγορημένον λέγεται ἴσα αὐτῷ
καὶ καθὰ τὸ ὑποκειμένον εἰρησεται h. e. cum alterū de altero dicitur,
tanquam de subiecto, quicquid, dicitur de prædicato, dicitur
etiam de subiecto. U. g. *Homo de Platone prædicatur: animal
de homine. Ergo etiam animal de Platone dicitur.* Verūm enim
verò non in omnibus hoc axioma locum habere posse, id sine
negotio demonstrari potest. Quia prædicatū sæpè commu-
nium est subiecto; idcirco plura de attributo prædicari poterunt,
quàm subiecto cōpetāt. Nō enim valet: *Homo est animal. Animal
est rationale & irrationale. E. etiā homo erit rationalis & irratio-
nalis. Nec statim quicquid de motu dici potest, etiā dicitur de tē-
pore: neq; quicquid de ligno, rectè dicitur de ulna neq; quicquid
de causa rectè dicitur de Effectu.* Nec sequitur, uti quidam Ma-
nichæi volebant: *Peccatoris forma est peccatum: hoc enim dat
esse peccatori. Ergo peccatum erit etiam forma hominis, quæ dat
esse homini.* II. Non valet in propositionibus inusitatis sacra-
mentalibus; ad quas tamen *Sacramentarij nostri illud impu-
denter detorquent: In hac enim propositione: Panis est cor-
pus: corpori conveniunt nasci, esurire, mori, crucifigi, resurgere &c.
pani verò minimè conveniunt.* Proinde pro quæstionis hujus
determinatione distinguendum. 1. Inter prædicationes inu-
sitas & regulares, 2. Inter prædicationes regulares univo-
cas & denominativas. In illis effatum Philosophi locum habere
potest; in hisce verò non semper: siquidem in univocis propositio-
nibus prædicatum non importat aliquid extra rationem subiecti
in denominativis vero importat. Ideoq; Aristoteles ipse cautio-
nem addit, quod agat de ijs prædicati prædicatis, quæ sunt ὡς
καθ' ὑποκειμένον hoc est, quæ sunt tanquam ἔσθια vel pars ἔσθια sub-
jecti.

jecti. 3. Hæc deniq; cautio adhibenda erit, ut & in his ipsis propositionibus univocis prædicatum de subiecto dicatur universaliter & non disjunctivè. Kecker in Syst. Log. l. 2. c. 1. p. 378.

QVÆSTIO III.

1. An etiam in terminis simplicibus sit veritas? 2. An etiam subalternæ & subcontrariæ propositiones oppositionem constituent? 3. An in una propositione contradictio esse possit?

TRes hæc simul complectimur quæstiones, ne nimiam prolixitate nobis ipsis impedimento simus. Quoad primam negativam videtur tenere Philosophus, quando *περὶ ἑρμην.* c. 1. *asserit: περὶ οὐθείων καὶ διαίρεσιν ἐστὶ τὸ ψευδὸς ἢ καὶ τὸ ἀληθές;* ut & 3. de anim. t. 21. & cum eo Thom. p. 1. q. 19. d. 1. Durand. 1. sect. distinct. 19. q. 5. Distinctione dat rem expeditam Fonseca 4. Metaph. 2. q. 6. inter veritatem incomplexam, *que alias transcendentalis & in essendo dicitur:* ac complexam seu in dando. *Illa est conformitas rei ad sua principia, vel proprietas rei prout & stabilitum est, definiente Avicennâ: hæc verò cognita est, ut Fonseca, sive exercita, ut Cajetanus & Thomas declarant.* Confirmatur hæc distinctio etiam à Scaligero, qui sic ait: *Sicuti intellectus alius est simplex, alius compositus: ita etiam verum, quod est objectum intellectus, aut est affectus Entis simpliciter accepti, aut est affectus orationis, dependensq; ex rerum significatarum convenientia.* Exerc. 307. l. 27. *Breviter: Alia est veritas Metaphysica, quæ est Entis incomplexi: alia Logica, quæ est Entis complexi, ac ex compositione & divisione orta.*

Ad alteram dicimus, neq; subalternas propositiones, neq; subcontrarias oppositionem constituere. Subalternæ non

non

non; 1. quia hic nulla pugna καταφάσις καὶ ἀποφάσις; sed utraq; dicunt esse adeoq; nihil contradictionis includunt. 2. Secundum quantitatem solum opponuntur, sed quantitatum nulla contrarietas. 3. Ipsum nomen arguit eas oppositas non esse. Si enim subalterna sunt, una erit sub altera: neq; ulla in hisce repugnantia, cum universale à suis particularibus nihil differat. Subcontraria non; 1. quia in hisce non est idem utrobique subiectum. Atqui prima oppositionis conditio τὸ αὐτὸ requirit. 2. Non ubiq; dividunt veritatem & falsitatem: quia simul utraq; vera esse possunt. 3. Ipse etiam Aristoteles disertis verbis subcontrariam illam oppositionem è numero verarum oppositionum, quas vocat κατ' ἀλήθειαν, excludit docetq; esse tantum ἀντιφασιν κατὰ λέξιν, id est, verbotenus l. 2. post c. 15.

Tertia deniq; quaestio affirmativa videtur approbanda; quia in Logicis non verba numeranda, sed conceptus respiciendi. Sed haec: Cato est homo & bestia; equipollet illis: Cato est homo: Cato non est homo. Poteris tamen melioris intellectus gratiâ nominare contradictionem implicitam seu crypticam. Alij respondent non posse esse formaliter in una eademq; propositione aliquam contradictionem; sed duntaxat ejus quasi semita & fomenta. Sed ad alia.

QVÆSTIO IV.

An omnes rerum naturalium species in principio à Deo creatæ fuerint?

Non in bivijis aut compitis, quod ajunt, hæc nata est, sed in summorum Philosophorum triclinijs: siquidem sat trepide inter ipsos de illâ queratur. Nonnulli enim primis in seculis reperti sunt Philosophi, qui asserere non exhorruerunt, species quasdam bestiarum ab æterno fuisse & extitisse. Nonnulli deinde, qui mitiores esse volebant, omnes bestias à Deo suam tra-
h. re

here originem, quales fuere Manichæi, negarunt. Distinxerunt enim bestias in bonas & malas, & illas quidem affirmarunt à Deo extitisse, has v. non. Malas a. vocarunt illas, quæ sunt substantiæ monstruæ, & venenatæ, quæq; ex putridâ nascuntur materia, aut aliâs hominibus inimicæ sunt & noxiæ. Saniores verò, hosce relinquentes, pleriq; statuunt, Deum post tristissimam protoplastorum nostrorum ruinam, terræ maledixisse, ut carduos, spinas, lolium, Tizanium, produceret, ceteris itidem rebus compositis pœnam imposuisse, ut putrescerent, ex quâ putredine varia horrenda & noxia animalia procrearentur. Vnde etiam Basiliius hæc in opinione fuit, rosas ante funestum Adami lapsum sine spinis crevisse. Finck. in Sched. p. 213. Keckerm. in cursu Phil. Dilp. 20. p. 585. His succedit autoritas antiquorum Patrum, ut & recentiorum Theologorum ad unum fermè omnium, qui scriptis in suis disertè testantur, noxia illa aut fœda animalia in prima creatione non esse condita, ut sunt rubetæ, bufones, crabrones, muscæ & id genus alia insecta ex sordibus putredine nascentia: vel si condita sunt, omnino dicendum & statuendum, nec noxia nec fœda creata fuisse. Sic enim Nyssen. l. de arb. c. 3. Arbitror creaturas racionales omnes initio optimas fuisse conditas. Quod si deinde ita permansissent, ut à principio creatæ essent, extra omnem utiq; malitiam essent. Quod verò concernit animalia illa irrationalia & noxia, respondet Eucherin l. 1. in Genes. quòd bona sint condita, sed malè utentibus data sunt in flagellum. Et Theophil. ad Autol. Nihil noxium, inquit, à Deo ab initio est conditum, sed hominis delictum conditionem creaturarum reddidit deteriores. Vide Eckardum in Comp. Theol. Patrum p. 30.

Multis etiam ita placet, quod venenosa illa & insecta facta sine aut post lapsum, proveneruntq; virtute generativâ, implantata Elementis in primâ creatione; aut quod verosimilius videtur: saltem multiplicatiora & irritatiora sunt reddita in hominem

hominem post lapsum propter peccatum, quem in modum fiebat
in plagis Ægypti, & hodiè etiam sæpius contingit, quando ira-
tior est nobis Dominus, ut ita de dominatu liberrimo hominis in
animalia aliquid decerneret, sicut principes solent inferioribus
ab utentibus reddere contractiorem jurisdictionem.

Sed decidi posse tepidè quæstionem existimamus hoc
modo; I. quod duplex sit ortus bestiarum, alter divinus &
supernaturalis, qui dicitur creatio: alter vero naturalis,
qui dicitur generatio.

II. Quod sit distinguendum inter actum primum & se-
cundum. Actum primo quidem creata sunt in principio omnes
rerum naturalium species, sed non actu secundo. Vel ut habet
P. Lombardus l. 2. dist. XV. 1. D. quod non nisi potentialiter
& materialiter in primis conditionibus creata sunt insecta illa,
aliaquè ex putredine nascentia. Nam in primâ creatione nulla
fuit putredo, E. tùm etiam ejus generis animalia non fuerunt
actu sc. quales sunt lentes, pediculi, lumbrici, &c. quæ ex va-
riâ putredine nasci solent. Hassenreff. in loc. Theol. p. 87.

Quibus sic observatis facilis est responsio ad argumenta
illa duo, priori loco adducta, siquidem non tantum cum sacra
scriptura, sed etiam cum sanâ Philosophiâ pugnant. Utraq; n.
affirmat, omnes bestias ortum suum in tempore accepisse, suaq;
naturâ esse bonas, adeoq; à Deo vel immediatè per creationem,
vel mediatè per generationem ortum trahere. Ratio vide-
tur firmissima: quoniam Deus est summum & perfectissimum
Ens, ideoq; fieri nequit, ut ullum aliquod Ens, vel per creatio-
nem, vel per generationem existat, cujus author non sit Deus.
Vana itaq; & erronea esse dicimus.

QVÆSTIO QVINTA.

An mundus aliquando actu interiturus, &
quomodo?

B

Cum

Cum mundus de sententia Socratis patria nostra sit, (ferunt enim Socratem de patria interrogatum, mundanum se esse respondisse) placet & hanc ad veritatis libellam revocare, siquidem omnibus etatibus varijs dissentientium certaminibus fuit exposita, mira q̄ opinionum de ea varietas, cum inter Philosophos, tum etiam Theologos, non quidem de interitu mundi: (cum nullus inter Christianos de hoc dubitet) sed de modo tantum extiterit. Scholastici & multi ex Theologis arbitrantur mundum hunc totum non κατ' ἑστίαν suam, sed κατὰ ποιότητα duntaxat interiturum, V. g. quod sol majorem habiturus sit splendorem, quod cælum amplius non mobile sit futurum & c. Atq; hi suam sententiam confirmant, partim rationibus philosophicis, partim S. scripturæ testimonijs. I. Philosophicis Ab adjuncto inconvenienti: quia absurdum & à bonitate Dei alienum esse videtur, imò nulla ratio firma dari potest, quare Deus splendidissimum hoc opificium totaliter & secundum suam essentiam vellet destruere & aliud vel ejusdem vel diverse nature condere. Timplerus in Phys. gen. c. 3. q. 1. p. 61. II. Scripturæ testimonijs probantur simili: Quomodo n̄ interijt mundus per diluvium, eo etiam modo interibit per incendium. At per diluviū non interijt mundus secundum suam substantiam. E. Majoris consequentiam è Petri testimonio depromunt, qui ultimam conflagrationem mundi confert cum Cataclismo. Sic n. I. Epist. 3. cap. v. 6. Mundus qui tunc erat ἀπόλετο interijt per aquam: cæli autem qui nunc sunt & terra verbo Dei reservati sunt igni in diem judicij & interitus ipsorum hominum. Vbi Apostolo diluvio dicit mundum interijisse, cum non prorsus abolitus, sed tantum ejus pars terra sc. sit corrupta. III. A contrario: quicquid enim liberabitur à servitute corruptionis, illud κατ' ἑστίαν non interibit: quis enim corruptionis liberationē diceret destructionem? At qui creatura & sic mundus liberabuntur à servitute corruptionis. Ergo. Majoris probatio extat Rom. 8. ubi
D. Pau.

D. Paulo ita: creatura subiecta est vanitati, & ipsa ἐλευθερωθήσεται liberabitur à servitute corruptionis in libertatem gloria filiorum Dei. Vbi, inquiunt, ἐλευθερώσεως non autem πανολευθρίας fit mentio. E. IV. Testimonio Pauli 1. Cor. 7. v. 3. σχῆμα seu figura huius mundi praterit inquit. E. natura mundi seu substantia peemanet, quia figura vocabulum denotat qualitatem, non ipsam substantiam. V. Mundus in æternum durabit. E. secundum substantiam non interibit. Antec. probat ex Eccles. 1. v. 4. generatio praterijt & generatio advenit, terra a. in æternum stat. Et c. 3. Omnia opera qua fecit Deus perseverant in perpetuum. VI. Ab adjunctis Solis & Lunæ: Si lux luna ac solis augebitur post hanc vitam, sequitur subiecta hæc mansura, & mundum secundum essentiam non interiturum. At verum prius Esa. 30. v. 26. Erit lux luna sicut lux solis & lux solis erit simpliciter. Hinc c. 66. etiam scribit: Ecce ego creo novos cælos & novam terram. Subscribunt huic sententiæ multi ex patribus & Orthodoxis, August. l. 20. de civ. Dei c. 14. 26. & seqq. Hieron. in 22. cap. Matth. Chrysof. in cap. 8. Rom. Lutherus in Epist. post. Petri. Lombard. l. 4. dist. 48. lit. E. Coll. Conimbric. in l. 1. de cælo c. 14. q. 1. Goclen. in Φυσ. completa p. 93. Timpl. par. 1. Φυσ. p. 58.

Sed lubentius subscribimus calculumq; nostrum adijcimus priori sententiæ, quæ Emphasi S. literarum convenientior est, nempe κατ' ἔσταν & secundum substantiam interiturum mundi hoc opificium, eamq; seqq. fulcimus rationibus: I. A proprio interitus: Quicquid interit secundum substantiã interit. Atqui mundus interibit. Ergo. Majoris firma ratio cum ex discrimine alterationis & interitus seu corruptionis, tum ex contrario evidens est. Generatio n. respicit substantiam. F. & corruptio. Minoris ratio est Mat. 24. Luc. 21. II. A manifestis scripturæ testimonijs: ut Psal. 102. v. 25. 26. Opera manuum tuarum sunt cæli, ipsi peribunt, tu autem persistas. Vbi aperte

Psalmistā mundū funditū interiturū prädicit. Nam principiō ait, Cæli peribunt: quod verbum non ἀλλοιωσις & mutationem, sed abolitionem denotat, quod etiam verbum Emphaticum: (peribunt) quod in altera parte Prophetica antitheses opponitur (permanes) evincit luculenter, mundum verè interiturū esse. Vana ergo imò nulla est hīc exceptio, Timpl. I. supra allegato, quando dicit, locum hunc aut propriè de cælis aut impropriè de rebus cæli complexu contentis, intelligi posse; vel cælos non essentialiter sed accidentaliter interituros, quā accidentariam corruptionem & mutationē psalmistā hoc in dicto intelles etiam velit. Respondemus enim I. quod non solum petat principium sed & perfriētā fronte appugnet dictum Davidis absolutumq; scripturæ sensum vertat in respectivū. II. quod decipiatur vocabulo Mutari. Mutari enim in S. literis sæpè idem est ac perire prorsusq; tolli, siquidē interitū juxta physicos nihil aliud est quam quædā mutatio formæ. Sic Esa. 2. v. 18. Idola dicuntur mutari i. e. perire. Et in Cantico 2. v. 11. Imber mutatus & abijt i. e. evanuit. Et Dan. 4. v. 22. septem tempora mutabuntur super te, i. e. transibunt. Ita etiam hoc in psalmistā dicto accipiuntur illa vocabula. Nullibi enim interitus mutationem rei in formā præstantiorem denotat. Consulatur Hunnius I. de providentia p. 15. III. Ab absurdo: Si cælum nunquam præteribit sed in æternum durabit, sequitur in omnem æternitatem non resurrecturum hominem, quando semel obdormierit. At absurdum & impium est conseq. siquidem adversā fronte cum articulo resurrectionis pugnat. Connexio Majoris habetur Iobi 14. v. 12. Homo inquit, cum dormierit, non resurget, donec prætereat cælum. Huc referatur etiam Christi clarum testimonium Luc. 21. Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Et illud Petri 2. Pet. 3. v. 10. Itemq; Apocal. 21. v. 1. & similia loca alia.

Pro decisione quæst. dicimus & præmittimus, I. quod

in hoc sententiarum & rationum conflictu & divortio, utra
sententia sit certior & firmitior, statuere sit difficilimum. Itaque
illud Augustini & Herbrandi in quaest. ult. de consum. seculi
huc accommodamus, quod melius sit dubitare de occultis, quam
litigare de incertis. *Quaedam enim differenda sunt in caelestem
Academiam, siquidem non omnia in hac imbecillitate ingenij hu-
mani perscrutari possumus, ne temerariam nostram assertionem
contrarius postea eventus redarguat.* 2. Aliquid tamen ut dica-
mus posteriori sententiae applausum damus, distinguimusque
inter inclinationem ad interitum & ipsum interitum. *Multa oc-
currunt in scriptura vocabula, alterationem denotantia, sed
haec referenda sunt ad inclinationem, quae propter vetustatem
mundus ad interitum declinat.* 3. quod vocabulum aeterni-
tatis duplici modo accipiatur; simpliciter, & secundum quid.
Simpliciter aeternum dicitur, *quod nullum initium habet &
nullum finem.* Secundum quid aeternum est *quod initium ha-
bet & finis est expers, quod alias perpetuum.* Vel, uti Hunnius l.
de provid. p. 13. habet, *vocabulum aeternitatis non semper in-
finitam aeternitatem denotat, sed aliquando perpetuitatem bene
quidem longam, sua tamen periodo & fine determinatam.*

His sic praemissis solvimus argumenta prioris opinionis
hoc modo: ad I. respondemus, per inversionem: *quod non sit
contra maiestatem Dei destruere mundum, quippe quem hac con-
ditione condidit, ut tandem finem habeat. Quin potius major e-
rit gloria & maiestas domini in exstructione novi caeli, & nova
terra, ubi lumen solis septuplo major erit, uti est Esa. 30. v. 26.
Qualis a. novus ille mundus futurus, nostrum non est indaga-
re.* Ad II. quod negligatur modus, in quo instituitur col-
latio. *Comparantur n. inter se non mundi interitus per dilu-
vium & incendium, sed homines in securitate & impietate.
Quemadmodum n. temporibus Noe homines in impietate &
perversitate viventes perierunt, id minimè sperantes: ita tan-*

dem in novissimis diebus peribunt. Ad III. quod sit attendendum ad mentem Apostoli, quæ non ad cælos duntaxat, aut nobiliores, quæ conspiciuntur, creaturas spectat, sed generatim res omnes complectitur. Respondemus igitur per instantiam: Paulus res omnes creatas, vinum, animalia irrationalia comprehendit. Ergo si hinc mundi æternitas potest confirmari, probabitur & hinc reliquarum creaturarum æternitas; quod est absurdum. Ad IV. quod sit fallacia Elenchi: figura enim hujus mundi, eò loci non significat accidentia qualiacunq; rerum mundanarum, sed splendorem, dignitatem, omnemq; conditionem hujus mundi, cum omnibus reliquis, quæ cum istis comprehenduntur. Ad V. 1. quod vocabulum æternitatis accipiatur secundum quid, videlicet in significatione longissimi temporis suis spatijs circumscripti. 2. Quod opera Dei, ibi non significant res naturales, quæ sunt partes mundi, sed actiones Dei inter homines, quod alteri sunt esse benè; alteri verò malè. In illis suis operibus semper est constans, & immutabilis est majestas divina, ac proinde durabunt ea, quàm diu hic mundus durat. Ad VI. quod illa non ἀπολεῖται & litteraliter sed allegoricè sint accipienda. Pereuntibus n. Tyrannis, bonâ pace frui debent Iudæi. Et tantum de hac questione.

QVÆSTIO VI.

An quædam actiones nihil nisi peccatum sint.

Affirmativam hic manifestè falsam esse asserimus. Ratio I. Quia omnis actus secundus est ab actu primo videlicet Deo, (in ipso enim vivimus, movemur & sumus Act. 17.) ideo res in se & per se optima est, est ipsa perfectio agentis, tantum enim qualibet res valet, quantum agit. II. Quia & ipsa furti, mendacij & adulterij exempla habere suos

suos motus inculpato in homine palam est; quibus ille in ve-
titis rebus propriae voluntatis arbitrio vitiosè abutitur, & pec-
cati labe inficit. III. Quod omne peccatum bono alicui inhae-
reat, hoc infallibilibus argumentis edoceri potest, I. Quia
peccatum est accidens. Atqui omne accidens est in aliqua sub-
stantia. Ergo omne peccatum habet aliquam, in qua sit, sub-
stantiam. Atque hinc est quod Thomas peccatum Ens defe-
ctu esse, adfirmat. Et Augustinus in Enchiridio ad Laurent.
à c. 11. ad 14. usque illam questionem tractat; Malum nisi in bo-
no aliquo esse non posse. 2. Si aliquid in rerum natura est,
quod in totum merum peccatum est, hoc eo quod est, substantia
est, ac proinde peccatum esset substantia. Sed Flacianorum &
Manicheorum hoc est delirium. 3. Res omnis, in quantum res,
bona est. Omne enim quod est, in quantum est, bonum est, Au-
gustinus l. 83. q. 24. Ergo nulla res aut actio rei, quae a deo pec-
cati foeditate commaculata sit, ut totaliter bono absumpto tota-
liter in malitiam degenerarit. 4. Idem testatur Augustinus in
Enchiridio c. 14. dum inquit: Mala omnino sine bonis, & nisi
in bonis esse non possunt, quamvis bona sine malis esse possunt.
Item alibi: si bonum non esset, in quo malum esset, prorsus nec
malum esse posset. Schaffm. de causa peccati l. 1. c. 9. Timpl.
l. 3. Metaph. c. 1. probl. 30.

Ceterum notandum, minus propriè loquendo pecca-
tum definiri per naturam corruptam, vel per actionem ma-
lam, siquidem certum est, omnes res positivas, h. e. omnia
quae sunt & vivunt, ut naturae vel substantiae, & omnia quae
moventur ut actiones, Act. 17. esse à Deo. Quocirca in pec-
cato duo consideranda. 1. Subjectum in quo haeret peccatum:
ut est natura vel substantia vel ipsa actio quatenus est motus
quidam. 2. Ipsa privatio & carentia, quae vel haeret in substantia
vel annexa est actioni & propriè peccatum est Chemnitii par.
1. loc. Theol. com. p. 387.

Questio

QVÆSTIO VII.

An actio illa bona, quæ bonâ intentione
ad bonum finem refertur ?

Iohannes Calvinus in Instruct. c. 14. contra Libertum :
Idem opus, inquit, ideò impio peccatum, Deo verò non,
quòd impius avaritiâ, invidiâ & crudelitate inciretur ad fa-
cinus suum, & ex hac animi affectione & finis quem spectat,
opus meritò malum iudicatur : Deus verò omninò respe-
ctum alium habet, declarationem gloriæ suæ & justitiæ in
reprobis, misericordiæ in electis. *Ex quibus verbis videre
est Calvini sententiam eam esse, nihil esse malum, cuius finis &
intentio bona sunt.*

Nos hanc Calvini assertionem & ipsi paginæ sacræ &
reæ rationi per omnia contrariari, & nihil nisi misellum
aliquod & elumbe diverticulum esse pronuntiamus hisce
ex fundamentis: 1. quia non sunt facienda mala ut eveniant
bona. Rom. 3. v. 3. *Atq; hac regula Pauli norma & amissis
esse debet omnium nostrarum actionum, ut aggressuri quippiam
dispiciamus non modò an finis nostri instituti à Deo probetur, sed
etiam, an medium, quo finem illum consequi laboramus, sit con-
cessum.* 2. *Quantumvis Saul bonâ intentione Amalecita-
rum spolia ad mandatum sacrificiorum usum reservasset; nihilo-
minus tamen ob singularis mandati circumstantiam id omninò
peccati rationem habuisse legitur I. Sam. c. 15. v. 23.* 3. *Re-
ctius fecit Eleazar, qui in gratiam Macchabeorum non modò
non edere voluit de suillis carnibus, sed ne quidem simulare illa-
rum esum, licet ab amicis moneretur, ut vel simularet duntaxat
quò vitam conservaret.* 4. *Et quale esset furtum Eleemosyna
causâ admissum; sicuti lugenda habet de Francisco, quod no-
cturno sit furatus corium, indeq; per diem confectos calceos postmo-
dum in pauperes distribuerit?* 5. *Bonitas rei non ex solo fine, sed*

ex

ex omnibus causis estimanda est, sicuti vi omnium causarum effectum existit: sæpè bonum aliquis sibi proponit finem, sed relique cause mala sunt, unde illud quod jam dicebamus: Non facienda mala, ut eveniant bona. Nam mala antecedentia ex bono finali salvari nequeunt. Non tantùm debent bona fieri, inquit Augustinus, sed etiam debent bene fieri. Multa sunt bona; sed non beneficientibus ijs, à quibus fiunt, perduntur. Et eleganter Scaliger: Sunt, inquit, quaedam actiones non præcisè bona, cujusmodi sunt actiones justæ, quæ ab homine non justo fiunt. Finis quidem justitiæ. Forma verò & essentia deest actioni: quia deest habitus atq; ipsa recta ratio. Exer. 307. s. 27. Quia ergo contra Calvinum hoc esto conclusum: Actionis bonitatem non à solo fine pendere: nec id statim bonum esse, cujus finis est bonus.

QVÆSTIO VIII.

Utrum actionum nostrarum differentia sint à Deo causâ universali; an verò à particulari voluntate nostrâ?

Loquimur hîc, ne sis nescius, de actionibus, quæ voluntatis naturalis concursu fiunt. In hisce enim cum tria se offerant principia: Principium universale, Deus: commune, Natura: & proximum Natura nempe singularis voluntas nostra: non immeritò jam quæritur, à quonam horum actiones nostræ suam habeant differentiam? Respondemus bonarum actionum differentiam à Deo dependere: Sed malas actiones à solâ nostrâ voluntate determinari ut sint tales. Prius istud apud omnes in confesso est; pro posteriori hasce apponimus rationes. I. quia tria ista principia dicta, ad effecti constitutionem ita conspirant, ut in statu actionum & naturæ lege principium superius inferiori nihil decerpatur, sed integras agendi vires illi relinquat. Et proinde I. Deum non
C aliter

aliter naturam adficit, quàm ut omnia secundùm naturam.
Rectè enim Augustinus de civ. Dei l. 7. Deus, inquit, omnia
quæ creavit, ita administrat, ut ipsos proprios exercere motus si-
nat. 2. Natura ita movet voluntatem, ut 3. voluntas agendi
libertate sibi relicta nullo necessitatis vinculo constringatur.
Tàm enim absurdum est voluntatem necessitare cogi, ac si cali-
dum esset absq; calore idem August. I I. Quoties cunque
ad alicujus effecti constitutionem plures causæ subordina-
tæ concurrunt, ultimum effectum, neque supremam, neque
intermediarum; sed proximam causam conditionem sequitur.
Atqui proxima actionum causa est ipsa nobis insita voluntas. E.
Rem omnem exemplo declaramus: Ad productionem homi-
nis concurrunt Sol cum homine, sed non ideo qui nascitur est homo,
quia producitur à sole, sed quia producitur ab homine: potuis-
set enim per eundem solis concursum produci bos aut equus, si
talis fuisset causa secunda: & si fortè defectus aliquis reperitur
in homine illo recens nato nemo referet causam defectus illius in
solem; sed in hominem, non tam quia Sol sit causa necessaria
quàm quia per solis concursum potuisset homo perfectus procrea-
ri, si defectus in causa proximâ nullus fuisset: Ita quoq; ad a-
ctionem voluntatis humanæ concurrunt Deus cum libero arbi-
trio, sed quia Deus generali concursu tantùm adest, non est to-
tis actio, quia à Deo; sed quia à libero arbitrio, producitur: &
si actio fortè mala est, defectus ad Deum nullo modo pertinet,
cum per ejus concursum potuisset contraria actio equè produci
atq; ea, quæ producta est. Bellarm. l. 2. de stat. peccati c. 18.
p. 203. III. Diversa est bonarum & malarum actionum
qualitas. Illa enim ad bonitatis suæ constitutionem requirunt
omnia principia esse bona, : hæc verò unius saltem principij de-
fectu mala existunt; hæc secus atq; perfectus aliquis numerus
ad sui perfectionem omnes suas unitates postulat; sed unicâ dun-
taxat amissâ imperfectior redditur. Ex quo iterum invictè in-
feri.

ferimus, discrimen illud actionum nostrarum non ex universali
& remotâ causâ, Deo, sed ex proximâ esse ponderandum.
IV. Facit huc S. Thomas in 1. 2. q. 80. a. 1. ad 3. ubi sic lo-
quitur: dicendum est quod Deus sit universale principium
omnis interioris motus humani: sed quod determinatur ad ma-
lum consilium voluntas humana, hoc directè quidem est ex vo-
luntate humana & à diabolo per modum persuadentis & appet-
tibiliâ proponentis. Et in eâdem parte q. 10. a. 4. dicit, divi-
nam motionem recipi in causis secundis juxta earum dispositio-
nem. Et fusius hæc explicat in q. 3. de malo a. 2. *Atten-
dendum, inquit, est, quod motus primi moventis non recipitur
uniformiter in omnibus mobilibus, sed in unoquoque secundum
proprium modum.* Et in quaestione eadem a. 7. ad 13. dicit,
Deum agere cum causis omnibus secundis; sed cum liberis ita a-
gere, ut eas non determinet ad unum, sed relinquat determi-
nationem in potestate liberi arbitrij. Denique in l. 3. contra
Gentes c. 66. dicit, causas secundas esse particulantes & de-
terminantes actionem primi agentis. Ex quibus omnibus colli-
gitur, Thomam hoc velle, quod Deus moveat voluntatem
ad operandum, sed quod hic ejus motus sit generalis, & ab
ipsa voluntate determinetur ad hanc, aut illam actionem
particularem. V. Deniq; assertioni huic etiam Beza haut
invitus suum calculum apposuit, quando in resp. 2. ad Col-
loq. Montisb. p. 179. hæc verba protulit: *Discrimen bona-
rum & malorum actionum cadit in ea instrumenta, quæ intel-
ligentiâ & ratione prædita sunt; cujusmodi sunt angeli & ho-
mines. Deus enim sic administrat, omnia ut etiam ipsa proprios
exercere & agere motus sinat. Ecquæ ergo est Calvinianorum
quorundam stupenda impietas, qui ipsum Deum Opt. Max. cau-
sam peccati blasphemò suo ore proclamare non erubescunt, eò
quod sit causa universalis omnium nostrarum actionum? Sed
notumus hanc rem jam agere prolixius: remittimus te ad Fran-*

ciscum Iunium questionem hanc in tractatu de peccato primi mundi cum studio & industria pertractantem.

QVÆSTIO IX.

An præscientia Dei sit causa futurorum?

Cum omnia dicantur esse in Dei cognitione seu præscientia, non immerito queritur; Utrum præscientia illa sit causa futurorum seu rerum præscitarum. In affirmantem partem D. Thomas par. 1. q. 14. art. 8. & qui eum sequitur, abire videtur, Deus enim, inquit, l. d. omnia videt in uno, quod est ipse, & suos effectus videt in seipso sicut in causa, unde scientia eius non est discursiva, sed est causa rerum scientia Dei. Fundamenta præcipua, quibus probant suam sententiam sunt isthæc: I. A simili: Quemadmodum enim se habet artificis præscientia & artificiatæ seu res arte factas: ita etiam se habet præscientia Dei ad præscitæ seu res præscitæ. Atqui verò artifex præscientia est causa efficiens artificiatorum. Ergo etiam præscientia Dei est causa efficiens præscitorum. II. Ab absurdo: Res enim præscitæ aut sunt cause præscientiæ Dei, aut præscientia Dei est causa rerum præscitarum. At illud dicere est absurdum. Nam præscientia non differt realiter ab ipso Deo, neq; à voluntate ipsius, sed est Deo essentialis & nihil aliud quam ipse Deus. E. III. Idem: Zanchius de natura Dei l. 3. c. 1. q. 15. ab adjuncto probat: Temporarium, inquit, non potest esse causa æterni. Atqui res præscitæ sunt temporariæ, præscientia vero Dei est æterna. E. illa nequeunt esse causa præscientiæ. IV. Ex Augustino concludunt qui l. 51. de Trinitate c. 1. ait: Universas creaturas & spirituales & corporales non ideo nosse Deum, quia sunt, sed ideo esse, quia novit Deus.

Ast horum verba nobis non est esca, facientibus cum recentioribus non infimi subsellij scriptoribus, negativam qui arripiunt & defendunt. Defensionis argumenta habent

benttalia, quorum I. desumptum à conditione rerum præ-
scitarum: si præscientia Dei esset causa rerum præscitarum seu
omnium eorum, quæ ipsi subsunt, esset utiq; etiam causa malo-
rum, cum omnia mala etiam sciantur & præsciantur à Deo.
At qui posterius hoc est absurdum, si enim Dei scientia vel præ-
scientia causa esset malorum, esset utiq; Deus author eorum, quod
longè est à veritate, penitusq; falsum. Non ergo præscientia Dei
causa est omnium futurorum & quæ ei subsunt. II. Ab absur-
do: Quia posita à causâ, quatenus est causa, ponitur etiam cau-
satum. Si igitur præscientia Dei esset causa præscitorum & fu-
tutorum, sequeretur inde, sicuti præscientia Dei est aterna, ita
& præscita seu futura esse aterna, quod itidem dictu cogitatuq;
absurdum & impium. E. III. Quia non ideo aliquid futurum
dicitur, quia Deus præscit futurum, sed quia futurum est il-
lud Deus præscit futurum antequam fiat.

Pro defensione veritatis notandum est, quod Deus di-
catur præscire aliquid non propriè, sed *κατ' ἀρχαιοτάτην*:
Deo enim extra temporis respectum aternitatem habitanti, ut
scriptura loquitur, nihil præteritum est, nihil futurum, sed præ-
sentia simul omnia, 2. quod præscientia Dei per se & solitariè
intellecta non causam rerum præscitarum, sed noticiam de-
signet, uti videre licet apud Hunniû l. de provid. p. 4. 3. quod
sit distinguendum inter res præscitas; hæ enim vel à solo de-
pendent Deo ut creatio, missio filij in carnem: vel ab homine
ut sunt res bonæ vel malæ.

Respondemus nunc ad argumenta pro affirmativa al-
lata, & quidem ad 1. per inficiationem Minoris: nam præ-
scientia artificis rerum faciendarum seu artificiorum non sim-
pliciter est causa, sed per voluntatem & operationem, quatenus
videlicet actum causandi exercet. Ad II. 1. quod illud de re-
bus bonis concedatur, si præscientia cum voluntate jungatur,
negetur verò de malis: hæ enim fiunt non quia præscit Deus, sed

C 3

quis

quia sic futura erant, ideò præscit. 2. quod sint causæ determi-
nationis præscientiæ, at non ipsius præscientiæ. Ad III. quod
Deus cognoverit res omnes etiam malas ab æterno, non per
species intelligibiles, sed ex suis causis, siquidem omnia Deo
sunt præsentia. Eximiè enim Cassiodorus super ψ 16.
Neq; à bonis neq; à malis deest Deus, sed omnibus præsens est &
cognitor. Cognoscit g. DEVS & bona & mala per scientiam,
sed bona cognoscit per approbationem: mala verò non. E. G.
Præscivit Deus & prædixit infidelitatem Iudæorum, interim
tamen non fecit, nec ideò quia præscivit eos ad infidelitatem co-
egit. Ad IV. Augustini sc. respondemus verbis Origenis,
qui inter alia Tomo 4. in explic. super cap. 9. Epist. ad Ro-
manos scribit: non propterea aliquid erit, quia scit Deus futu-
rum, sed quia futurum est, ideò scitur à Deo antequam fiat.

QVÆSTIO X.

An providentia Dei sese etiam extendat ad res
minutissimas & vilissimas, non tantùm ad
res arduas & magnas?

DEVM omnia scire, ejusq; scientiam omninò esse immutabi-
lem, in præcedente jam assertum fuit questione, placet ulti-
mo loco, de hac expendere propositam, Quo usque sc.
providentia Dei se extendat? Multis enim & quidem classi-
cis scriptoribus, dubitationis nubecula, in primis de affir-
mante parte hic oborta fuit, è quorum numero I. est D.
Hieronymus in explic. capituli 1. Habacuc, qui referente Pe-
tro Lombardo l. 1. dist. 39. l. d. absurdum, imò divinâ maje-
state indignum esse judicat, subijcere Dei providentia pulices,
pisces, muscas, ranas, &c. ut sc. sciat per singula momenta, quot
culices nascantur, quotve moriantur, quota pulicum & musca-
rum sit multitudo, quotve pisces natent in aquis? Et ulterius:
Non

Non sumus tam fatui adultores Dei, ut dum providentiam eius ad ima retrudimus in nos ipsos injuriosi simus, eandem irrationabilium & rationabilium providentiam esse dicentes. Forma syllogismi potest esse talis: Majestate Dei indigna sive quae eam obscurat, Deo non sunt tribuenda. At qui hoc fit quando Dei providentiae subijciuntur res minutissima & vilissima. E. II. A. Iij autoritate Plinij pro negativâ adducunt qui l. i. natural. hist. c. 7. hunc in modum arguit: Sapientis providentia est avertere & prohibere vitia. At hac in rerum universitate nihil ferme frequentius evenit, quam ut conspiciantur varij defectus naturae, ut monstra, prodigia, & id genus alia, quae cum legibus naturae pugnant. Unde liquet, quia isthaec eveniunt, Deum vel impedire, vel istorum curam nullo modo habere. III. Aliquibus S. scriptura subsidio esse videtur, quando allegant dictum Apostoli dicentis I. Cor. 9. Num boves Deo cura sunt? Itemque illud Iob 22. v. 12. An cogitas, quod Deus excelsior sit caelo, & super stellarum verticem exaltatus, quod nubes latibulum ejus, neque nostra curat, sed in sphaera caelesti ambulat. Ergo circa universalia non versatur Dei providentia.

Ast nos, aliter ex sacris edocti, ab ipsorum sententia discedimus, militamusque pro affirmativâ, quae omnium verissima, videlicet divinae providentiae ambitu in universum omnia, quae in hoc mundo sunt, sunt, & geruntur, contineri tam bona quam mala, tam vilia & abjecta, tam magna quam eximia. Milites vero non levis armaturae prodacimus tales, quorum I. Scutum mutuatur è S. literarum oraculis I. Ex V. T. ut Psal. 104. ubi David sub complexum providentiae Dei omnia, non solum caelum, terram, angelos, & id genus creaturas alias nobiliores refert, sed & volucres, passeres, ciconias, earumque nidos & domunculas, cuniculos, item erinaceos, tenebras, reptilia, animalia pusilla, & hujus generis abjectiores res, de quibus singulis sic ait, Omnia in sapientia isthaec fecisti, Omnia

ex



ex te pendent expectantq; ut des illis escam in tempore, teq;
 dante colligunt & te manum aperiente latiantur bonis. I-
 tem ψ 148. Similiter Dei providentiam non modò solem, lu-
 nam, stellas v. 3. Sed & dracones, ignem, grandinem, nivem,
 ligna, bestias, universa pecora & id genus res alias nostro iudicio
 vilissimas. Et Sapiens ait 14. v. 3. Tua providentia pater omnia
 gubernas; similia lege Psal. 146. v. 9. Prov, 16. v. 33. 2. Ex
 Novi T. scriptis Luc. 12. v. 6. Nonne quinq; passeruli vaneunt
 minutis assibus duobus & unus ex illis non est in oblivione co-
 ram Deo Et Matth. 10. v. 3. Vestri capilli capitis omnes nume-
 rati sunt. Clariora adhuc si cupis, lege Colos. 1. v. 17. Omnia
 per ipsum & in ipso consistunt. Ebr. 1. v. 3. Filius Dei portat omnia
 verbo potentie sue. II. Ex simili: Quemadmodum enim pater-
 familiàs singulos quidem in familia curat, ipsisq; necessaria sup-
 peditat, sed majori cum libertate liberis suis quam servis inser-
 vit: ita Deus omnia & singula gubernat animantia, licet ho-
 minibus cultoribus suis se magis familiarem praebeat in suppedit-
 andis vitae commodis. III. Ex adjunctis flosculorum & fos-
 liorum: Sic enim praclare August. l. 10. de civ. Dei c. 14.
 Providentiam Dei usq; ad haec terrena & ima pertingere folio-
 rum flosculorumq; pulchritudo comprobatur, quae omnia velut ab-
 jecta & velocissimè pereuntia decentissimos formarum suarum
 numeros habere non posse confirmat, nisi inde formantur, ubi
 forma intelligibilis & incommutabilis simul habens omnia per-
 severat. Nec est quod hic ogganniunt, providentiam Dei
 esse ordinationem ad finem: finem autem decidens folij
 aut capilli, itemq; muscarum, & c. nullum apparere: ideò nec
 ordinatio ad finem. Respondemus enim 1. cum Rodolpho
 Agricola l. 1. de Invent. c. 14. Omnia propositum sibi habent
 finem propter quem faciunt cuncta, qui, tametsi rebus ipsis non-
 nunquam sit ignoratus, ut sunt ea, quae expertia sensus natura
 tantum in agendo sequuntur impetum, auctor tamen conditorq;
 novit,

novit, cujus in agendo numini & jussis parent. Vide Tolet. 2. Phys. c. 9. q. 13. 2. Muscas quod concernit eleganter subtilitatem Magister Scaliger ex 205. S. 3. respondet; quod hirundo sine muscâ vivere non possit. Sine quo autem quicquam existere non potest id ei est necessarium, ac propterea factum. Et quis non videt, vermiculos & lumbricos, ejusq; farinæ & similia insecta, aviculis cibum præbere? Imò inquit ibid. Sect. 5. Tanta est entium series, tanta affinitas, ut si minimum, aut reipsa abfuerit, mundus desiverit esse mundus. Proinde memorabilis est sententia D. Augustini Serm. 6. in Matthæum: Videte, inquit, quia minima non contemnit Deus, nam si contemneret, non crearet. Contra verò absurda & blasphema vox est, apud Euripidem: Rex mundi magna curat: parva fortuna relinquit. Conferatur Hassenreiff. in loc. Theol. p. 89. Finck. in Schediasm. p. 213.

Pro declaratione sciendum & notatu dignum esse censemus, quod Deus incommutabiliter in se existens, præsentialiter, essentialiter, potentialiter, (ut habet Lombardus) sit in omni creatura, aut in sanctis spiritibus, & animabus rationalibus, est excellentius, quàm in beluis & irrationabilibus. Id quod etiam elegantissimis demonstrat August. verbis, in l. de præsentia Dei ad Dardanum, sic inquit: Cum Deus sit natura incorporea, & incommutabiliter viva, æternâ stabilitate in seipso manens, totus adest rebus omnibus & singulis totus, sed in quibus habitat, habent eum pro suæ capacitatis diversitate, alij amplius, alij minus. Idem in Epistola ad Hieron. utitur hoc simili: Quemadmodum anima, ait per omnes particulas corporis tota adest simul, nec minor in minoribus, nec major in majoribus, sed tamen in alijs intentius, & in alijs remissius operatur, cum in singulis particulis corporis essentialiter tota sit: ita & Deus cum sit in omnibus essentialiter totus, in illis tamen plenius esse dicitur quos inhabitat, id est, in quibus ita est, ut faciat eos templum suum.

D

Ar-

Argumenta jam quæ trepidationem fecerunt in animis
quorundam, ut loquitur Scal. ex 6. Sect. 5. facile diluuntur.
I. quod attinet, hâc in parte à D. Hieronymo secessum facimus,
freti sacrarum scripturarum præsidio, quæ tam pusilla, quàm
magna Deo cura esse comprobât. Ad syllogismi allati minorem
dicimus & respondemus per inversionem: quod videlicet
inde immense bonitatis Dei, ejusdemq; infinite sapientia &
omniscientia majestas clariùs elucescat. Tantò enim Deus estis
mandus est clementior, quantò magis curam habere videtur,
imò revera habet rerum etiam abjectissimarum. Quòd verò
nihil inde purissimæ ipsius essentia decedat, ratio in promptu,
quia Deus non communicat illorum natura, vel quicquam de
illorum impuritate participat, haut secùs, ac lux solis non inquie-
natur à rerum quas perstringit impuritate. Ad II. quod
committatur 1. σόφισμα non causæ ut causæ. Nam ex erra-
tis & defectibus natura vitiòssimè petitur ratio, ad negandam
Dei providentiam, cum circa illas res, quæ nobis natura errata
videntur, providentia Dei, vel maximè occupata sit, ita ut ex il-
lis divina justitia, sapientia, bonitas, & omnipotentia signa
satis evidentia conspiciantur. E. G. Tenebræ in Ægypto
erant defectus natura, itemq; solis tempore Iosua cessatio, & ta-
men maximè hæc fiebant Dei providentiâ. 2. Petitio principij:
Non enim statim ea pro erratis & defectibus natura sunt haben-
da, quæ rationi nostræ videntur talia. Multarum enim rerum
occulta sunt causa, quæ ab acutissimis etiã Physicis explicari ne-
queunt. Ad III. & quidem ad 1. quod sit fallacia à dicto se-
cundum quid. Non enim absolutè & simpliciter dictum illud
est intelligendum, sed comparatè, factà nimirum collatione bo-
rum ad homines, quod Apostolus disertè innuit, dicens: Num
boves Deo sunt curæ? annon propter nos hæc dicit? propter
nos enim hæc scripta sunt. Modus itaq; comparationis negligitur
Ad 2. quod in eo committatur crassissima ignoratio Elen-
chi: quæ enim in Iobo sub forma interrogationis proponuntur,

in

in argumento isto belicōs accipiuntur, quæ argumentandi ratio
non meretur responſionem per Syllogiſmum, ſed per νόλον aut
ſcuticam.

Colophonidis loco ſufficiat nobis nobiliſſimum illud D. Au-
guſtini, quod extat ſuper Pſalmum 148. Attendat charitas ve-
ſtra qui diſpoſuit membra culicis & pulicis, ut habeant or-
dinem ſuum, habeant vitam ſuam, habeant motum ſuum?
Unam beſtiolam brevem, minutiſſimam conſidera, quam
volueris, ſic conſideres ordinem membrorum ipſius & ani-
mationem vitæ, quâ movetur, ut pro ſe fugiat mortem, a-
met vitam, appetat voluptates, exerat ſenſus diverſos, vi-
geat in motu ſibi congruo: quis dedit aculeum culici, quo
ſanguinem ſugat, quam tenuis fiſtula eſt, quâ ſorbet? quis
diſpoſuit iſta? Expaveſcis in minimis: Lauda Deum ma-
gnum: hoc enim nemo vos de fide excutiet, & de ſanâ do-
ctrinâ, qui fecit in cœlo angelum; ipſe fecit in terra vermicu-
lum; angelum in cœlo pro habitatione cœleſti; vermicu-
lum in terra pro habitatione terreſtri. Totum ergo hoc
attende, totum lauda, totum crede. TANTUM.

Δόξα Θεῷ μὲν καὶ πνεύματι δόξα μεγίστη.



ΠΡΟΣΦΩΝΗΜΑ

AD


Virum ornatissimum,
Dn. HENRICUM SCHIL-
LINGIUM Respondentem.

Ἐμὸν τίπτε' Ἰππimάρτυρον μέλισμα,
Μεῦ ΣΧΙΛΛΙΓΓΕ, παραιλέεις, ἑταῖρε,
Ἐπειδήπερ ἔγωγε μεσοπιός
Μηδαμῶς πέλομαι, ἀτὰρ τρίτον
Σε γύμνασμα παρὸν πάρετω,
Καὶ ὁ ΒΗΛΣΤΕΝΙΟΣ διδάσκαλός σε
Μάρτυς ἐμπεσόμυθε, ὃς λέληθε
Σε παρδύσιν ἐς οἰκικλῶ δρίττω,
Μαυτάνειν σοφίᾳ Θεῶν βροτῶν τε.

οὖν ἘΡΡΙΚΕ σὺ παρδαίως τ' ἀόκνως
Ἐν σήθεσι τέθνηκε σέο τέχνω
Ὀρθῶς ἀντιλέγοντας ἐξελέγγειν,
Καίκεν ἡμετέρως σοφῶς διδάσκειν,
Καὶ ἔτως χαρίεις Θεῶν βροτῶν τε
ἔσσει, ὄνομα κλυτὸν τε ἔξεις.

M. Christophori Crinesl Schlacco-
waldo-Bohemi.







Fa 1842 ⁷²


(M5)

X2608597


WONA











ANNUENTE GRATIA DIVINA,
NOBILIUM QVÆ-
STIONUM PHILOSO-
PHICARUM
DECAS X.

Quam,
In illustri Academiâ VVitebergensi,
PRÆSIDE
M. HENRICO VELSTENIO
Philosophiæ Moralis Prof. publico
defendendam suscipiet
HENRICUS SCHILLINGIUS
è Saxonibus Sëesensis.

Ad diem 24. Septemb. horis locoque consuetis.

Augustinus lib. 4. de Trin. c. 6.

Nemo Christianus contra scripturam, nemo pacificus contra
Ecclesiam, nemo probus contra conscientiam, nemo sobrius
contra rationem aliquid statuit aut defendit.

VVITTEBERGÆ
Typis Cratonianis, per Iohan. Gorman.
Anno M. DC. VIII.